

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXIII. Continens Historiam Legisperiti Offerentis Sese Discipulum, Et
Alterius Cujusdam, Volentis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

um 1. Corinth. 14. v. 19. scribit, se malle in Ecclesia quinque verba, quæ intelligi possint, loqui, ut alios instruat, quam decem milia verborum in lingua, quam nemo intelligat. Sed bone Deus, quam procul ab hoc proposito absunt illi Ecclesiarum antifites, qui in templis peregrina lingua utuntur, quam sæpe ne ipsi quidem intelligunt. Hæ sunt dotes verbi ministrorum, quæ ex præsentī loco addisci possunt.

5. Si quis etiam pro auditoribus velit aliquid notare, potest in discipulis monstrare exemplum docilitatis & attentionis. Docilitatis, quod et-

iam illas parabolas, quibus nulla redditio fuit ad-
dita, intelligunt. Attentionis, quod ea; quæ dic-
ta fuerunt, ad se pertinere agnoscunt. Nam qui
instar Judæorum apud Ezechiel. 33. vers. 31. ser-
mones sacros ita audiunt, ut postea in canticum
& fabulam convertant, illi molesti & impii sunt
auditores. Rectè ergo veteres in auditore duas
virtutes requisiverunt, nimirum, 1. *προσεχεν* *το*
νεν, compositos ad audiendum habere sensus, 2.
ἀγχινοια, solertiam & industriam intelligendi
etiam obscuriora. Sed de his
fatis.

CAPUT LXIII.

CONTINENS HISTORIAM LEGISPERITI OFFERENTIS
SESE DISCIPULUM, ET ALTERIUS CUJUSDAM, VOLENTIS

PRIUS SEPELIRE PATREM.

MATTH. 8.

RATIO ORDINIS.

Supra in commonefactione ordinis, quæ præcessit 55. caput Harmoniæ, indicatum est, Marcum esse, duces & monstratores ordinis, qui scribat, Christum, vespere illius diei, quo habuit concionem parabolicam, instituisse cum Apostolis transfretationem in terram Gergesenorum. Et cum eo consentit Lucas, qui & ipse transnavigationem illam, parabolæ de semine quadruplici, & historia de matre & cognatis cupientibus cum Jesu colloqui, subjungit. Cumque Marcus, interjectis aliquot concionibus, demum deducat Dominum Jesum in patriam, quam historiam Matthæus recitationi parabolarum subjecit: non possumus hoc loco in Matthæo progredi, sed recurrendum erit ad superiora, quæ ipse per anticipationem scripsit, & quaerenda ista transfretatio. Cui tamen præmittit historiam de duobus, cum quibus Christus in ipsa via egerit, antequam navim conscenderet. Unus fuit scriba, qui se offerebat discipulum, sed à Christo repulsam passus est. Alter fuit discipulus, qui à Christo digredi & patrem sepelire voluit: cui tamen Christus veniam dare noluit. Accurate ergo consideranti omnes circumstantias apparet, hoc ordine hæc omnia præcæta esse.

Christus ad finem deducta prima concione, quam ad mare habuit, à se dimittit turbam, & domum concedit, quæsiturus dubio procul, tanquam verus homo, & humanis infirmitatibus subjectus, quietem, ut qui totum diem miracula-

edendo, cum acerrimis hostibus disputando & concionando vires consumsisset. Domi autem, rogatus à discipulis, enarrat parabolam de zizaniis, atque ea occasione alias quasdam parabolas prioribus attexit. Interim turba dimissa rursus confluit ad ædes, in quibus morabatur JESUS, Christus ergo videns sibi quietem quæsitam minime concedi, mandat discipulis de transfretando in ripam ulteriorem. Dumque alii ex discipulis, artis nauticæ periti, præeunt, ut navim parent atque Dominum venientem suscipiant, in-
via ipsum Scribæ & unus ex discipulis adeunt, animi sui voluntatem ipsi proponentes, & quisque eorum seorsim suum responsum à Domino accipit.

Cæterum Lucas cap. 9. v. 57. consimilem commemorat historiam, de tribus Christum adven-
tibus, & eam plerique in Harmonia cum hac conjungunt: quia prorsus eadem videtur. Sed factæ sunt hæc duæ historiæ diverso tempore & diverso loco. Illa enim apud Lucam integro anno post accidit: & quidem non ad mare, dum Christus cogitaret in terram Gergesenorum, sed in via, cum Christus completis diebus assumptionis suæ faciem suam obfirmasset, ut iret Hierosolymam. Et quia utrobique non obscuræ sunt notationes observati ordinis, idèd dubium non est, ista bis esse dicta & facta, diversis locis & temporibus. Atque proinde nos cuiusvis historiæ suum locum in Harmonia attribuemus, si quis tamen omnino eas pro una eademque habere voluerit, nos cum illo non altercaberimur.

HISTORIA SCRIBÆ, MUNUS DISCIPULI AMBIENTIS, ET
ALTERIUS DISCIPULI, ABITUM MOLIENSIS.

Matth. 13. v. 53. & 8. v. 18. & Marc. 4. v. 35.

53. a Καὶ ἐβλήθη, ὅτε ἐτέλειεν ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐκκλησιαστικὰς
ταύτας, μετῆρην ἐκείθεν.

35. e Καὶ λέγει αὐτοῖς (μαθηταῖς) ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡ-

53. a Et factum est, ut cum sinisset JESUS sermones hos,
digrederetur illinc.

35. e Et ait illis (discipulis) in die illo, cum sit-

miser

- μέρα, ὡς αἱ ἡμετέρας, διέλαθον εἰς τὸ πέ-
ρα.
18. αἰδὼν ὁ ἰησοῦς πολλὰς ὄχλους παρὰ αὐτὸν, ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέρα.
19. καὶ προσελθὼν εἰς γαλιματεύς, εἶπεν αὐτῷ διδά-
σκαλε, ἀκολούθησόν μοι, ὅπως ἀπέρχη.
20. καὶ λέγει αὐτῷ ὁ ἰησοῦς, αἱ ἀλώπεκες φωνεῖς ἔχου-
σι, καὶ τὰ πετεινὰ ἔχουσιν κατασκευάσεις, ὁ δὲ
ἰησοῦς ἔχει ἀνθρώπων οὐκ ἔχει πρὸς τὴν κεφαλὴν κλίνην.
21. Ἄλλος δὲ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶπεν αὐτῷ κύριε ἐπι-
τρέψον μοι πρῶτον ἀπελθεῖν, καὶ θάψαι τὸν πατέρα μου.
22. ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, ἀκολούθη μοι, καὶ ἄφες τὸς νεκροὺς
θάψαι τὸς ἑαυτῶν νεκροὺς.

Ita esset vespera, et transivimus in ulteriorem ripam.

18. a Cum vidisset Jesus turbas circumse; jussit ut abirent
in ulteriorem ripam.
19. Et cum audisset unus Scriba, dixit ei, Praceptor, sequar
te, quocumq; abieris.
20. Et dicit illi Jesus, vulpes foveas habent, & volucres
caelividos, at filius hominis non habet ubi caput in-
clinat.
21. Alius autem de numero discipulorum suorum dixit ei,
Domine permittite mihi prius ut abeam, & sepeliam
patrem meum.
22. At Jesus dixit illi, sequere me, & sine ut mortui sepe-
liant mortuos suos.

Periocha hujus Historiae.

Quod circumstantias hujus historiae attinet, sunt illa plana & aperta. Nam 1. de tempo-
re Matthaeus testatur, Christum cum finiisset illos sermones parabolicos, ab eo loco in quo erat, digressum esse. Et Marcus id confirmat, dicens, in illo ipso die, quo populum & discipulos per parabolas instituerat, vespera facta, discipulis locutum esse de transfretatione. Apparet ergo Christum à mari se domum contulisse, eo consilio, quasi illa nocte ibi esset mansurus. Verum turbæ concursus ipsum ad novum consilium compellit. Convenerunt autem turbæ frequentiores, quia toto illo die non tantum manè miracula ejus viderant, sed & Scribas ac Phariseos graviter redarguentem, atque insuper varia docentem audierant. Veniunt igitur, alii quidem ut veritatem ab ipso discerent: alii, ut corporale bonum sanitatis, vel pro se, vel pro suis impetrarent: alii etiam novitatis studio, ut viderent insolita & stupenda: alii denique, ut vel contradicerent, vel aliquid capterent, ex quo periculum ipsi creare possent. Constituit ergo ex ædibus illis abire. 2. Quo verò contendere voluerit, uterque & Matthaeus & Marcus disertè indicant: εἰς τὸ πέρα. Dictum autem est in Prolegomenis, Evangelistas hoc nomine insignire illam terræ partem, quæ in orientali ripa Jordanis sita esset. Licet Josepho propriè Perza sit illa terræ pars, quæ à Capernaumo aliquanto remotior olim fuit possessio tribus Judæ. Hic ergo rectè verbum est in ulteriorem ripam, quia tendebant à septentrionali occasu, in oppositam terram versus australem ortum. 3. Quibus autem præceperit, ut hanc transfretationem instituerent, apud Matthaeum quidem locutio ambigua est, ut etiam ad turbas referri possit, sicuti Chrysostomus hoc modo accepit. Sed tum circumstantiæ reliquæ docent, tum in primis Marci oratio disertè ostendit, hoc mandatum ad solos Apostolos spectare. Hos enim etiam alias ad loca solitaria, quietis causa, deduxit. Interim aviditas audiendi & videndi Christum, multos ex plebe attraxit, ut in aliis navigiis sese eis jungerent, atque Christum sequerentur. 4. Cur autem hanc profectionem instituerit, ejus hæ rationes esse possunt. Primum, totum diem insumerat docendo, disputando, miserias agrotorum videndo & audiendo, miracula edendo, Diabolos expellen-

do, sicuti hæcenus audivimus. Cum ergo verus homo, ac proinde omnibus humanis infirmitatibus, solo peccato excepto, subjectus esset, sensit lassitudinem & defatigationem. Opus itaque habuit quiete, somno & virium refecione. Quæ cum sibi præ turba in domo ægrè concedi posse animadverteret, inde discedere voluit. Unde factum audimus, quod navim ingressus mox obdormierit, & quidem adeo profunde, ut ne à gravi quidem navis jactatione excitatus fuerit, usque dum Apostoli eum clamore & impetu excitarent. Sic suo exemplo docuit, honestam quietem & virium refecionem cuius in sua vocatione à Deo concessam esse: siquidem quod caret alterna requie durabile non sit. Deinde ex superioribus patet, Scribas quosdam & Phariseos Hierosolymis eo descendisse, ut ipsum observarent, & postea apud Pontifices deferrent. Quia ergo Pharisei jam ante cum Herodianis adversus ipsum conspiraverant: & illo ipso die etiam cognati ejus consilia agitaverant de manibus ipsum injiciendis: Noluit sua præsentia ipsis ad deteriores conatus occasionem præbere. Nam si ipse intra urbem mansisset, neque concursum illum populi impediisset, tum pestifera invidiae venenum Scribas, intempestivus autem metus superiorum conatus impellere potuisset, ut ex utraque parte aliquid damnosum contra Christum tentassent, quod per discessum evitare consultius fuit. Neque enim adhuc hora ipsius venerat, qua morte sua humani generis redemptionem procurare voluit. Sic, qui invidiam hostium insidiantium declinat, ne ante tempus hostia cadat impiis, sed se melioribus temporibus servet, is non peccat. Præterea animadvertebat Christus, plerosque suo concursu tantum carnalia quærere, & novitatis studio duci. Cum igitur ipse animarum potius salutem invigilaret, hanc ipsorum curiositatem sua præsentia confirmare noluit: sed secessit, ut ostenderet, se nihil per ostentationem facere, neque inanem gloriam captare, sicuti dicit Johan. 8. v. 54. Si ego ipse quærò gloriam meam, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me. Debent etiam in hoc verbi ministri Christum imitari, ne vulgi applausum quærant, neque gloriam ex hominibus venentur. Hi enim ferè ut justo judicio destituuntur, ita pro affectum varie-

M m m tate

tate in horas mutantur. Denique Apostolis, ab eo tempore, quo à Chrſto electi fuerant, nihil adverſi acciderat: audierant tantum conciones graviffimas, & viderant miracula ſtupenda & glorioſa, non tantum in ſanandis ægrotis, ejiendis Dæmonibus, ſed & in excitandis mortuis. Et tamen vocati ab ipſo fuerant ad ſuſtinendas tentationes, & ſuperandas graviffimas adverſitates. Ut ergò in iis ipſis exerceret & tentaret quantum in ſchola ſua profeciſſent, cum ipſis ingreditur navim, & mare vult trajicere. Ubi exoritur tempeſtas, in qua tanti fluctus excitantur, ut de vita periclitentur. Mox in terram ex mari deſcendentes excipiunt duo Dæmoniaci ſæviſſimi, quorum rabies hæcenus fuerat tanta, ut nemo tuto per iſta loca ambulare potuerit. Sic ipſorum fidem probavit, ut illi, qui hæcenus ob ſecunda magna animos ſibi ſumſerant, & nihil non ſibi promiſerant, agnoſcerent, quantum adhuc ſibi deeſſet, & quanta animi fiducia requireretur ab illis, qui Chrſtum ſequi & individui profeſſionis ipſius comites eſſe vellent. Quod ſcriba hic, de quo nunc audituri ſumus, non expendere.

Nam dum Chrſtus ſe ex ædibus ſuis conductitiis confert extra urbem ad ſtationem navium, unde erat ſolvendum, in via inter eundem duo accedunt, quibus diverſa reſponſa contingunt. Unus erat Scriba quiſpiam, qui ſeſe offert, quod ipſum velit ſequi quocunque abierit. Poſteſt hic fuiſſe ex numero eorum, qui ſubornati fuerant ab Hieroſolymitanis, ut Chrſti dicta & facta obſervarent, ſi primores populi aliquem contra ipſum prætextum habere poſſent. *Is vult ipſum ſequi, quocunque abierit,* hoc eſt, non vult vulgaris auditor eſſe, ſed inter Apoſtolos, qui perpetui comites erant, adoptari. Quid hunc Scribam ad hoc poſtulatam impulerit, in textu non exprimitur: ſed partim ex circumſtantiis, partim ex reſponſo Chrſti, qui ſerè in reſpondendo non ad verborum ſonum, ſed mentem interrogantium reſpicere ſolet, deſumi poſteſt. Chrſtus in concluſione præcedentis concionis, dotes fidelis Doctõris in novo Teſtamento deſcripturus, dixerat: Scriba doctus ad regnum cœlorum nova & vetera proferre debet de theſauro ſuo. Hoc abſque ſuo dubio hic Scriba audivit, qui arripiens vocabulum Scribæ, ſibi perſuaſit, quandoquidem ipſe hoc titulo gauderet, ſe præ omnibus aliis ad hoc munus aptiſſimum eſſe. Cum tamen Chrſtus non locutus fuerit de Scribis in Legge Moſis expeditis, genealogiarum & ceremoniarum peritis, atque annalium cuſtodibus, quales erant Judæorum Scribæ: ſed de ſcribis eruditis ad regnum cœlorum, quam eruditionem in ſchola Chrſti conſecuturi erant. Hic verò ſcriba doctrinam ſuam non ex ſchola Chrſti ablaturus, ſed in eam importaturus erat. Poſteſt tamen eſſe, ut ipſum etiam moverint, cum gravitas miraculorum Chrſti, tum ſingularis virtus ipſius, quæ in docendo elucebat. Ea enim eſt efficacia verbi divini, ut ſæpè etiam obſervatores ad ſui admirationem trahat, & non tantum averſas, ſed etiam adverſas hominum voluntates in diverſum ſeclat. Cum ergò ipſe quoque ſibi, ſecundum vulgarem Judæorum opinionem, imaginatus ſit temporale Meſſiæ regnum, ſperavit ſe, ſi hujus diſcipulus fieret, popularem auram, opes, otium & præſentis vitæ

commoda conſequi poſſe, ac proinde tam liberally ſe offert. Chrſtus ergò, qui eſt καρδιανός, nec indiget, ut quis ipſi teſtimonium dicat de homine, ſiquidem ipſe ſcit, quid ſit in homine, Johan. 2. v. 25. animadvertens ipſum aliud ſpectare, quam quod ad regni cœlorum amplificationem facit, non quidem ipſum repudiat, ſed tantum conditiones functionis hujusmodi duræ & miſeræ, in ſua perſona proponit, ut nimirum præmeditaretur, an illas ſubire vellet. Sicuti de hujusmodi præmeditatione prolixè agit Luca 14. v. 28. Reſponſum tamen ita attemperat, ut non tam ipſum perſtringat, quam in ſua perſona oſtendat, non inventurum ipſum apud ſe, quod quærat. *Vulpes,* inquit, *ſua habent luſtra, & volucres ſuos nidos: ſed filius hominis non habet, quo caput reclinet.* Vocat ſeipſum Ben Adam, *filium hominis,* non propterea quod Mariæ filius eſſet, ut quidam interpretantur. Nam ſi huic reſpexiſſet, non ſe τὸν υἱὸν τῆς ἀνδραπῆς filium dixiſſet. Sed quia ſemen mulieris verus homo factus fuiſſet, caro de carne noſtra & de oſſibus noſtris. Et quem admodum propter nos noſtram naturam induit, ita etiam omnes infirmitates humanas, quæ peccato non participant, ſuſtinuit, quales ſunt eſurire, ſitire, frigore & æſtu affici, contemptum & abjectum eſſe, paupertate premi. Et quidem hoc in loco teſtatur, ſe paupereſſe eſſe omnibus animalibus brutis: ac ſi non tantum ex Paradifo, tanquam Adam, verum tanquam Adamo deterior, & ejus filius, ex mundo expulſus eſſet. *Vulpes,* quæ hominibus inutiles & inviſæ ſunt: tamen commoditatem cavernarum in agris obtinent. *Avæ* quoque, licet ex peregrinis locis advolent: tamen hoſpitiæ inter homines, etiam ſub teclis noſtris nanciſcuntur. At Chrſtus, benedictum illud mulieris ſemen, omnibus hominibus utiliſſimus, adhuc verus terræ Dominus, tamen ne tantum quidem privatæ commoditatis inter homines invenire poſteſt, quantum ſatis ſit capiti reclinando. Sic verò tacite innuit, ſi eo animo diſcipuli munus apud ſe quærat, ut coram mundo vel ditior vel potentior evadat, tum alio ipſi Magiſtro opus eſſe: ſi quidem ipſemet in extrema paupertate vivat, nedum ut ſuis ſectatoribus iſtiusmodi terrena bona largiatur. Jam verò ſi hic Scriba ſincero animo Chrſtum adiiſſet, nec ambitioſus terrena tantum commodata ſpectaſſet, facilè reſpondere potuiſſet, ſe hæc conditiones acceptare & omnia pro damno & pro ſtercoribus habere velle, propter eminentiam cognitionis Chrſti, ut in ipſo inveniat, habere non ſuam juſtitiam ex lege, ſed eam quam per fidem eſt Chrſti, Philip. 3. verſ. 8. At verò bonus hic Scriba tacitus diſcedit, atque ſic nihil reſpondendo prodit, Chrſtum verum pectoris ſui ulcus tetigiſſe.

Expedito hoc Scriba, accedit alius quiſpiam ex diſcipulis Jeſu. Fuit ergò hic unus vel ex Apoſtolicis, vel ex eorum numero, qui poſtea inter LXX. ſunt relati, & jam verſabatur in illa vocatione, quam prior ille Scriba, ambierat. Veriſimile autem eſt, eum vel ex Capernaumo, vel ex vicinia illa oriundum fuiſſe, atque illo ipſo die nuncium de patris obitu accepiffet. Cum igitur audiret Chrſtum inſtituere navigationem per mare Galilææ in regio-

in regionem oppositam, ad quam ante hac nunquam concessisset, non quidem officio discipuli renuntiat, nec detrectat eum sequi, sed tantum veniam petit prius domum abeundi, & extremum officium parenti præstandi. Et quidem laude dignum est, quod, cum certam vocationem haberet, & inter domesticos Christi numeraretur, non discedit in salutato Magistro. Quin & officium ipsum, quod parenti præstare cupit, per se honestum est. Nam pietas & reverentia erga patrem à Deo ipso præcepta & naturæ implantata est. Illud tamen vitio non caret, quod in collatione officium minus præfert majori. Etenim debemus quidem partem aliquam nostris parentibus, aliquam amicis, aliquam patriæ: sed, Christo debemus omnia. Ob quem si quis non sit paratus deserere parentes, liberos, agros, domos, non est dignus qui ipsius discipulus habeatur, Matth. 10. v. 37. Christus tamen, quæ ipsius est bonitas erga infirmos, ipsam non rejicit, nec etiam acrius castigat, sed officii sui admonet ac dicit. *Sequere tunc*, quasi dicat: Habes certam vocationem, exequere ea, quæ ipsius sunt propria. Ego autem te vocavi, non ut discas quomodo mortui sepeliantur, sed quomodo mors extingatur & vita æterna hominibus detur. Hanc ut discas, necesse est, ut tecum maneat, ut continuus meorum dictorum & factorum auditor ac spectator sis. Interim tamen non deerunt, qui parenti mortuo debitam sepulturam procurant. *Sine ergo ut mortui suos sepeliant mortuos*. Mortuos hic vocat Christus, qui neglecta vitæ cœlestis cura, carni & mundo militant, & circa hujus mundi studia tantum occupantur, nec solliciti sunt, ut per Spiritum Dei regenerentur & vivificentur. Sicuti Paulus 1. Tim. 5. v. 6. de viduis luxuriantibus & in deliciis viventibus, scribit, quod viventes mortuæ sint. Et Divus Chrysostomus super hunc textum egregium habet locum, de iis qui in peccatis vivunt, quod demortuis sint deteriores. Unde etiam colligit, hujus discipuli patrem à fide in Christum fuisse alienum, quia Christus ipsum non inter mortuos suos numerat. De quibus Apoc. 14. v. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Non itaque damnat hic Christus officium illud pietatis, quod filii superfites parentibus defunctis in sepeliendo præstant. Nam hoc nomine in scripturis commendantur Isaacus & Ismael, quod Abrahamum, Jacobus & Esau, quod Isaacum, Josephus cum fratribus, quod Jacobum patrem cum publica honoris & doloris significatione tumularunt: Imò ipse Christus moriturus matrem virginem Johannis curæ, fidei & tutelæ commendavit, Joh. 19. v. 17. Dederunt etiam hac de re piis præcepta Syracides, c. 38. v. 16. & senior Tobias suo filio, Tob. 4. v. 3. Et inter summas pœnas, quibus Deus minatur se velle punire impietatem Regis Joachimi, Jerem. 22. v. 19. hæc est, quod debeat sepeliri sepultura asini, hoc est, insepultus abjici extra portas Hierosalem. Sed Christus hoc docere voluit, posse quidem ex secunda tabula honestos prætextus opponi, qui nos impediunt, quo minus obtemperemus vocationi primæ tabulæ: quales sunt, ad esse parenti senio confecto, vel eundem mortuum sepelire, sed ejusmodi prætextus non esse recipiendos. Eos

Harm. Tom. I.

enim, qui talia prætextunt, ineptos esse ad regnum DEI.

Hæc gesta sunt in via, dum ex ædibus progredierentur ad mare. His tamen responcionibus non tantum Scribam & discipulum perstringere voluit: sed quia turmatim populus eum sequebatur, pauci tamen expendebant, quam duram subirent conditionem, nec tam cœlestia, quam terrena apud ipsum quærebant. Itaque turbis quidem non loquebatur: hæc tamen ita perstringebat, ut omnium, quotquot audirent, conscientias purgaret, quo in se condescenderent, seque ipsos examinarent, quo animo CHRISTVM sequerentur.

Sunt tamen & alia quædam, ad quorum diligentiore consideratione hæc historia nobis occasionem præbet.

Primò, sicut in superioribus Christus nobis monstravit aliquot dotes & virtutes eorum, qui ad ministerium verbi volunt accedere: ita ex hac historia per *ἀντιθέσει* possumus colligere aliquot vitia, quæ efficiunt, ut homo quispiam minus sit aptus ad sacram istam functionem. 1. Si quis sit arrogans, & ipse sibi ob donorum excellentiam tribuat, se præ aliis dignum esse, cui sacra hæc provincia committatur, unde se ingerit potius ad illam functionem, quam ut vocationem expectet. Sicuti fecit hic Scriba, qui non vocatus appetit locum inter Apostolos, & propterea, quia Scribæ titulo ornatus erat, licet in Christi schola minimè institutus esset, tamen se præ aliis ad hoc munus aptum esse opinabatur. Tales arrogantes *ἀντιδιδασκῶν*, ut experientia testatur, ferè plus damni Ecclesiæ afferunt, quam profunt. Ideò Christus vel maximè amat humiles discipulos, qui agnoscunt se ex seipsis, tanquam ex seipsis, non esse idoneos, ne ad cogitandum quidem: sed *ἰκανότητα* & sufficientiam suam esse ex Deo, 2. Corinth. 3. v. 5. 2. Si quis religionem sibi quæstum faciat, & sub ejus prætextu tantum quærat, quæ carnis sunt: interim autem non serio pendat, quis ille sit cui servire velit, & quid sit ejus discipulum esse velle, indignus est cui verbi ministerium credatur. Tales enim sunt *πρόσκαρτοι*, Matth. 13. v. 21. dum vident Evangelii præcones in honore & pretio esse, & affulgere aliquam spem dignitatum & externorum commodorum, ipsi quoque accurrunt læti, sponte sua se offerunt, & inter primos Christi discipulos esse cupiunt. Sed quando felix ille Evangelii cursus sese vertit, & crucis vel persecutionis æstus exoritur: mox ipsi quoque territi & superati deficiunt. Hoc currentes, & sese in munera Ecclesiastica prees & pretio ingerentes, probè considerare debent. Qui, si expendissent illud Jac. 3. v. 1. Nolite plures Magistri fieri: scientes quoniam qui in illo gradu sunt constituti, gravius judicium subibunt, importunitatem suam deponerent, & agnoscerent Ecclesiam plus probare Expectantes quam Currentes. 3. Nec illi apti sunt ad verbi ministerium, qui vulpino præditi sunt ingenio. Nam perstringit Christus hac phrasi homines, qui non tam politici sunt, quam *πολιτικοί*, qui carnis sapientia vel potius astutia instructi, causam religionis malo dolo agunt, & sub hujus prætextu latibula sibi parant, in quæ se recipiant, si quid periculi

M m m 2

religio-

religionis causa sustinere cogantur. Tales multi inveniuntur, qui quidvis simulare & dissimulare possunt, ut favorem magnatum captent, quem majoris faciunt, quam omnia sacra. Rectè autem vulpibus conferuntur. Ut enim *vulpecule* sunt astutæ, voraces, callidæ, item timidæ, & tamen non tantum in desertis prædantur, sed & villas rusticorum ingrediuntur, & inde gallinas atque anseres rapiunt: ita istiusmodi doctores, qui tantum sua quærunt, Philip. 2. vers. 21. mirabili astutia suas artes cœlant, insatiabili cupiditate rerum terrenarum flagrant, & licet propriarum conscientiarum testimonio convicti trepidant, dolistamen suis & magnatum favore freti, Ecclesias invadunt, & passim homines tentant, ut pecuniis ipsos emungere & census suos locupletare quæant. 4. Quin nec illi idonei sunt, quibus munus in Ecclesia docendi committatur, qui sunt instar *voluturum*, hoc est, inconstantes & leves, qui tantum docent ad captandam auram popularem. Qui etiam, ne ex nidis suis excutiantur, subinde genus & formam doctrinæ mutant. Hi non quærunt animas, quas Christo adducant: sed nidos in quibus umbracula habeant, & ne favore principum excidant, potius instar Proteicujusdam in mille formas se vertunt. 5. Denique nec illi Christo sunt grati discipuli, aut ad ministerio apti: qui non ita sunt affecti, ut omnia humana postponenda putent iis, quæ ad propagandam religionem Christianam spectare videntur. Etenim qui DEO sunt in ministerio obstricti, illi conjunctissimorum potius, sive illi sint parentes, conjuges, liberi, sive principes, heri aut alii, invidiam & indignitatem subire debent, quam DEO suo infideles deprehendi. Et sanè, si quid difficultatis in ministerio obiciatur, varii prætextus quæruntur, ob quos nobis concessum arbitramur, ut molliori brachio mundum tractemus. Alius enim communem patriam in ore habet, & attendendum dicit, ne illam in periculum non necessarium adducat. Alius magistratus reverentiam allegat, & se divino mandato obligari dicit, ut illi obtemperet & taceat. Sed his omnibus & singulis CHRISTUS dicit: *sequere me*, hoc est, fac quæ tui sunt muneris, & mihi exitum rerum commenda. Si verò Christus discipulo suo concedere noluit, patrem defunctum tumulare, ne in negotio Evangelico impediretur: quanto minus probabit illos ministros, qui cum incommodo Ecclesiæ perpotant, alea infamii ludunt, otio indulgent, arma tractant, jus dicunt, aut aliis secularibus negotiis sese immiscent, unde nihil gloriæ ad Christum, nihil emolumenti ad Ecclesiam, sed tantum scandala ad omnes redundant?

Secundo etiam Christi paupertas consideranda venit: de qua hic dicit; *quod non habeat, quo caput reclinet*. Est sane ille omnium ditissimus. Etenim secundum divinam naturam est ille Dominus, de quo David canit in Psalm. 24. vers. 1. Cujus est terra, & omnis plenitudo ejus. Et ipse de se apud Job. 41. v. 2. ait. Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Secundum humanam verò naturam, ex gratia unionis per sessionem ad dexteram Dei accepit omnia: quia constitutus est super omnia opera manuum Dei. Psalm. 8. v. 7.

Verum hac sua abundantia & plenitudine sponte sua se abdicavit, & ut Paulus loquitur, in statu humiliationis *ἐξένωσε*, seu exinanivit, ut in tanta penuria & paupertate inventus fuerit, ut omnibus hominibus inferior haberetur. Hinc statim in nativitate sua ad stabulum relegatus, & in præpio jacens testatus est, se non habere, quo caput reclinet. In hac egestate omnem vitam transegit; & tandem etiam post vestibus amissis nudus in cruce pendit, atque post mortem aliena syndone involutus, in alieno sepulchro tumulatus est. Causæ tamen simul expendendæ sunt, ob quas tantam inopiam sustinere voluerit: ne quis superstitiosus putet, eum certum quendam ordinem sive pauperum sive mendicantium, instituisse voluisse. 1. Primam docet Paulus 2. Corinth. 8. v. 9. Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives: ut illius inopia vos ditesceretis. Quomodo hoc fiet, dicit aliquis. Non vidi, per omnem meam ætatem, ut quis ex alterius inopia, sed ut ex alterius opibus ditesceret? Respondeo, sit hoc spiritualiter. Ipse in stabulo nasci voluit, ut nobis in cœli aula locum manentem pararet. Johan. 14. v. 2. Ipse in terris peregrinus fuit: ut nobis *πολιτευομαι* & municipium in cœlis procuraret, Philip. 3. v. ult. Ipse in cruce nudus pependit; ut nos vestimentis salutis, & indumento justitiæ vestiret, Jesa. 61. v. 10. Curis denique, vigiliis & doloribus confectus, caput spinis coronatum in propriis scapulas inclinavit: ut nos haberemus, in cuius sinum nostras curas tuto conjicere, & requiem conscientiarum & animarum invenire possemus, Psalm. 55. v. 23. 2. Paupertatem suo exemplo sanctificare, & omnibus hujus seculi exemplo solatium præbere voluit. Et sanè egestas ex primo lapsu exorta, ac proinde peccati poena. Credentibus tamen in Christum sit salutare fidei & patientiæ exercitium. Ne ergò pauperes putarent, se ob egestatem DEO esse exosos. Ideò CHRISTUS etiam paupertatis onus subiit & sustinuit. Et quia is nihil omnibus dilectus mansit DEI filius, dubium est nullum, quin pii omnes, si in Christo JESU inveniantur, DEO dilecti futuri sint, si maximè Iro pauperiores essent. Ideò Divus Paulus dicit: Roman. 8. vers. 35. Quis nos separabit à charitate Christi? an angustia? an fames? an nuditas? In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. 3. Voluit etiam suo exemplo nos docere *ἀντάρκειαν*, ut forte nostra contenti, non affectemus aliena, nec luxum hujus mundi appetamus. Est enim quæstus magnus *ἡ εὐσέβεια καὶ ἀντάρκειας*, pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus. Sed habentes alimenta & tegumenta his contenti simus, 1. Tim. 6. v. 6. Et Petrus dicit: sint mores vestri alieni ab avaritia: *ἀρκούμενοι τοῖς παρθεσιν*, contenti presentibus. Hoc veteres dixerunt, *τὰ παρόντα εὐχρησθαι*. Et quia natura paucis est contenta, iidem rectè affirmarunt: Cui parum non est satis, ei nihil est satis. 4. Voluit etiam nobis pauperes commendare: ut quoties nobis inops vel egenus occurrerit, in ipsius imagine Christum spectemus: nec dubitemus, si operibus misericordiæ ipsum juverimus, quin ejus amplissimam remunerationem accē-

accepturi simus. Sicut Christus ipse pollicetur, Matth. 25. v. 40. 5. Denique voluit docere regnum suum non esse de hoc mundo. Si enim de hoc mundo esset, utique etiam ostentatione mundanarum rerum superbiisset. At verò ab omni fastu adeo fuit alienus, ut etiam in regio suo in urbem ingressu mutuatitiam asinae, juxta Zachariae vaticinium, infederit, Matth. 21. v. 2. Et hujus paupertatis etiam commonefacere voluit suos sectatores, dum huic Scribae de ea concionatur. Nimirum docere voluit, opus esse, ut sui sectatores, se potius ad exilia, egestatem & adversa præparent, quam ut hujus mundi opes spectent. Hoc cum ita sit, optarim novisse, cujus sectator esset iste triplici corona redimitus sacerdos, qui multo auro & gemmis splendens, se in templo DEI ostentat tanquam DEUM, 2. Thess. 2. v. 4. Et qui tam locuples patrimonium jactat, ut longe lateque per terras & mare se extendat. Certe, si Petrus cum Domino suo, qui hic dicit se non habere quo caput reclinet, domum, scapham, retia, vestes, omnia, quae habuerunt, vendidisset & in usuras centesimas elocasset, non potuissent ista in tantam summam excrecere. Sed manifestum est cujus sit sectator: nimirum illius, qui Matth. 4. v. 9. dicit: Hæc omnia tibi dabo.

Tertio, Cum primis jucundam considerationem præbet illud, quod discipulo negat triste quod petit, ut ipsi largiatur lætum quid, de quo non cogitaret. Nam idem etiamnum hodie Christianis facere solet in ipsorum petitionibus. Triste erat officium, ad quod discipulus dimitti petebat, nimirum ut adesset in extremo parentis officio, quod sine lacrymis & gemitu præstari non potest, maxime quia, quando in rem præsentem ventum est, objecta magis movent sensus. Post sepulturam deveniendum fuisset ad Testamenti considerationem: hinc ad hæreditatis divisionem. Ex quibus sæpe numero rixæ & contentiones exoriuntur, unde quis ex uno in aliud quasi undarum fluctibus jactatur, ut ad portum salutis vix pervenire queat. Ab hisce molestiis omnibus Christus hunc discipulum liberavit, quod ei discessum concedere noluit, sed secum manere iussit, sibi que ita quasi affixit & conjunxit, ut animus in diversa distrahi non posset. Hujus verò loco secum deduxit in mare, ubi quidem initio obvenit procellosa tempestas, quæ ipsum non minus quam reliquos Apostolos, de vita quasi desperare coegit: Sed quam primum Christus precibus suorum excitatur, videt omnia tranquilla reddita, & inde agnoscit Christum talem Dominum, qui cum potestate mari & ventis imperet. Mox in littore apud Gadarenos eundem videt Dominum Diabolorum & mortis, qui cum imperio Diabolum in mare præcipitet. Sic ergo in hac profectione supra modum crevit in agnitione Christi, ad quam illustrem agnitionem Christi nunquam postea tam facile pervenisset, si Christus ipsius petitioni locum concessisset. Idem etiamnum hodie cum Christianis fieri certo statuere debemus. Sæpe numero Deus nobis negat id quod petimus, non quod adeo sit *ασπυ*, & miseriis nostris non afficiatur: Sed quia ad tempus patientiam nostram probare, atque inde melius quid nobis elargiri vult. Hæc doctrinam *πρὸς τὸν* constituit: quæ licet sit diffi-

Harm. Tom. I.

cilior, quam quæ in nuda *ἑωχία* versatur, tamen si quis illam attente observet, magnum ejus usum in tentationibus experietur.

Postremo, præbet Christus nobis ansam cogitandi & dicendi de spiritali morte, dum præcipit discipulo, ut sinat *mortuos suos mortuos sepelire*. Jam verò naturaliter mortui neminem possunt sepelire. Ergo innuit, præter naturalem mortem, esse etiam aliam: nimirum Spiritualem. Ut enim Scriptura unicuique nostrum duplicem attribuit hominem, externum videlicet & internum, Rom. 7. v. 22. Ephes. 3. v. 16. & 4. v. 24. ita etiam innuit duplicem in nobis vitam esse; & duplicem mortem. Est enim vita externa corporis, quam cum brutis habemus communem. Est & vita interna anima, quam angelis habemus similem: vitam nimirum spiritualem, vitam puram, vitam sanctam, ad quam de die in diem renovari debemus, 2. Corinth. 4. v. 16. Si quis verò utriusque vitæ principium & causam inspiciat: is deprehendet, quod quemadmodum corporea vitæ principium est anima, quæ dat vitam corpori, qua sublata, moritur corpus: ita spiritalis vitæ principium Dominus est, qui in anima nostra residens & per fidem habitans, spiritualem illam & religiosam vitam inspirat. Jam ergo ex utriusque vitæ principio, utriusque etiam & vitæ & mortis distantiam intelligere licebit. Quantum enim anima corpori, & rursus animæ DEUS præstat: tanto etiam luctuosior est animæ mors quam corporis, & tanto acerbior dolor esse debet quando Deus ab anima, quam quando anima à corpore separatur. Spiritualem autem hæc mors animæ, non nisi à peccato provenit. Et quidem natura omnes sumus mortui in delictis & peccatis, Ephes. 2. v. 1. Col. 2. v. 13. Qualis etiam fuit hic mortuus cum suis mortuis, qui ipsum sepeliebant. Sed Deus, qui dives est misericordia, convivificavit nos in Christo Jesu, remittens nobis peccata & ea ablucens per lavacrum aquæ in verbo. Si quis autem principium suæ substantiæ non retinet firmum ad finem usque, Hebr. 3. v. 14. sed à peccato superatur, tum homo per malitiam: rursus occidit animam suam, Sap. 16. vers. 14. Sicuti de hac morte Christus loquitur in historia filii prodigi frater hic tuus mortuus erat, & revixit, Luc. 15. vers. 32. perierat & inventus est. Nemini itaque *αὐτὸς ὁ Θεός* videatur, quando Theologi de animæ morte loquuntur. Non enim hoc volunt, quasi animæ essent mortales: sicuti quidam Romani Pontifices in illa hæresi hæserunt, atque propterea ab Ecclesia sunt damnati. Scimus Dei beneficio animam, quo ad substantiam suam esse immortalem. Sicuti probatur Eccl. 12. v. 7. Et Sap. 2. v. 2. impiorum opinio statuentium animam esse flatum evanescentem, graviter rejicitur. Christus quoque dicit Matth. 10. v. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed Theologi intelligunt spiritualem vitam. Quemadmodum enim Diabolus ita à Deo creatus est, ut in æternum duret, & tamen propter peccatum æterna morte moritur: ita inquit Augustinus de Trinit. lib. 14. Anima suam habet mortem, quando beata vita caret, quæ sola vera vita est. De hac morte loquitur Paulus 1. Tim. 5. v. 6. quando dicit viduam in delictis agentem, viventem mortuam esse.

M m m 3

Nam

Nam Spiritus est qui vivificat, Joh. 5. v. 63. Et Johannes scribit angelo Sardenſi, in qua Eccleſia magnus luxus inveniebatur: nomen habes quod vivas ſed mortuus es, Apoc. 3. v. 1.

Poſteaquam igitur jam patet, eſſe aliquam ſpiritualem mortem animæ, videamus etiam ejus ſymptomata vel propria, ut tanto magis nobis ab ea caveamus. 1. Morituri paulatim ſenſibus deſiciunt, ut nec videant, nec audiant, nec quicquam percipiant, donec tandem extinctis ſenſibus omnibus ἀναιſθηſία ſeu inſenſibilitas ſequatur, quæ deſuncti corporis propria eſt: ita etiam anima per peccatum moritura, paulatim amittit omnem ſenſum: idque variis modis in moribundis iſtis obſervari poteſt.

Primo amittunt ſenſum viſus, quod à Deo innumeris beneficiis præventi & cumulati, tamen oculos in tantorum bonorum largitorem non attollunt. Mittamus alia beneficia, tantum hoc quotidianum, quod bonis & malis commune eſt intueamur. Facit Deus oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos, Matth. 5. v. 45. Jam ſi quis ſponte ſua agros tuos nullo pretio, ſed ſola charitate inductus, aquis aliunde derivatis, quotannis irrigaret, an non viciffim illum amaturus, & pro hoc beneficio gratias ipſi acturus eſſes? At Deus hoc facit omnibus hominibus ex mera bonitate & paterna cura, ut ſit nobis frumentum & vinum, gregibus autem noſtris pabula neceſſaria ſuppeditat. At quot in mundo inveniuntur, qui pro hoc beneficio Deo ſuo uſque adeo non gratias agunt, ut vel inde occaſionem ſumant eum novis ſceleribus violandi & offendendi? Num credas tu hoc ſenſu viſus præditos eſſe? Minime verò. Sed idem faciunt, quod Iſraelitæ in deſerto fecerunt, Exod. 32. verſ. 4. Qui dum Dominus in monte leges dictat, quibus ipſos ad ſempiternæ felicitatis gloriam dirigere voluit, ipſi in valle vitulum fabricant, quo eum ad ſummam iracundiam impiffimè provocarunt. Deinde amittunt etiam ſenſum auditus. Nam invenies multos, qui quidem limina templorum frequentant, & quotidianas concionatorum voces audiunt, quibus diſſerunt de morte, de extremo judicio, de cœleſti gloria, de pœnis reproborum, de igne inextingvibili, & verme non moriente, de tetris illis & ſtridore dentium repletis tenebris, in quas ſunt impœnites conjiciendi: ſed ſurdus narratur apologus, nec plus iis ſermonibus afficiuntur, quam ſi vel eos non audiant, vel iidem ipſos non attingant.

Tertio, amittit etiam corpus mortuum ſenſum tactus: ut ſi maxime virgis & flagellis percutiatur, nihil tamen ſentiat. Ita anima ſpiritualiter mortua, planè inſenſibilis eſt ad plagas & verbera divina, quibus Dominus eam ad pœnitentiam excitare conatur. Quid ſunt tot hæreſeων monſtra, quæ noſtra ætate in Eccleſia ſunt exorta? Quid tot continuæ fames, tot inauditi novi morbi, tot peſtes, tot bella, tot publicæ & privatæ calamitates, niſi Dei flagella, quibus nos à lethifero ſomno excitare, & ut ad ſe redeamus, compellere conatur? ut vere cum Propheta dicere cogamur: omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas, Jeſa. 1. 5. Et tamen quis eſt, qui iſta ſentiat? qui propterea doleat? Idem dicere poſſumus, quod

Jeremias cap. 5. v. 3. Percuſiſti eos, & non doluerunt: attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: induraverunt facies ſuas ſuper petram, & noluerunt reverti. Denique mortui ſenſu, communi deſtituuntur, tam corporaliter quam ſpiritualiter, ut anima propria peccatorum vulnera, quæ paſſim accipit, neque ſentiat, neque lugeat, ſunt enim ἀπηλυγκίτες, qui poſteaquam dedoluerunt, ſemetipſos dedunt prorervia ad certatim patranda omnem impuritatem, Ephes. 4. v. 19. Anima, quæ per Deum vivit, etiam leviſſima peccata ſentit & lugeat, atque de remedio per pœnitentiam quarendo cogitat. Sed anima mortua, etiam ſi morifera crimina admittat, non tamen quicquam ſentit. Itaque non cogitat de remedio, ſed cum impiis dicit: Proverb. 23. v. 35. Verberaverunt me, ſed non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi. Quare? Quia frons meretricis facta eſt iis: nolunt erubere, Jerem. 3. verſ. 3. Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: quid feci? Jerem. 8. verſ. 6. Hoc eſt unum σύμπτωμα ſive proprium animæ per peccatum vel jam mortuæ vel certe mox moritura: 2. Alterum mortuorum corporum proprium eſt, quod formam & decus omne amittunt, ut ſere nihil adeo deforme in mundo monſtrari poſſit, quam quadruidani cadaveris inſepulti tetra facies. Hinc etiam fit, ut nec mater dilectiſſimi filii, nec uxor amantiſſimi mariti corpus, quando animam exhalavit, diu inſepultum jacere ſinat. Nam neque nares, neque oculi ferre poſſunt tam triſte ſpectaculum, quod in deformi imagine deſuncti apparet, ibi tota facies lurida, cutis rugoſa, & ſi aliquot dies jacere ſinas, integra examina ebullientium vermium, totum corpus lacerantium & exedentium, cernas. Itaque maturè tale corpus ſub terra conditur, ne triſtiſſima illa effigies & teterrimus odor ſpectantium oculos perterrefaciat, vel etiam communem aerem inſiciat atque peſtilentem reddat. Jam ſi quis mortuæ animæ tetram faciem videre poſſet, longe plus deformitatis & miſeriæ in ea ſpectaret. Nam mortuorum cadavera adhuc removeri poſſunt, ut tandem ruſus in terram & cineres reſolvantur, ſicque fœditas illa evaneſcat. At in horrenda peccati imagine, per quam anima moritur, videbis æternos Gehennæ cruciatus. Itaque vel ſaltem per iſtam ignem inextingvibilem, per vermes & tenebras, atque per horrendas Dæmonum larvas, teterrimam illam ſpiritualis mortis faciem contemplare. Sed hæc eſt Diaboli aſtutia, quod hanc peccati deformitatem ſtudioſe tegit. Ut ergo impoſtores venenamelle lita propinant: ita Satanas peccati deformitatem aſtu tegit, & pro re blandiſſima atque jucundiſſima offert, tantisper, donec peccatum ſit perpetratum, itum deinum antiquus ſerpens tanquam coluber incipit pungere, ut homo peccati atrocitatem & deformitatem percipere incipiat. Quanquam etiam rationis judicium iis, qui non ſunt traditi in reprobam mentem, illam peccati deformitatem dictat. Unde enim fit, quod peccaturi latibula quærant, in tenebras ſe abdant, niſi inde, quod conſcientia ipſis inculcat, eam eſſe facti fœditatem & turpitudinem, ut merito honeſtorum hominum oculos devitet? 3. Denique mors homines ſpoliat omnibus ſuis bonis.

Sis licet alter Cyrus vel Alexander, aut totius mundi Dominus: tamen cum ad mortem veneris, Iro atque Lazaro mendico pauperior eris. Hic enim verum est illud dictum: Mors sceptrum lignibus aequat. In morte deserunt nos opes, amici, famuli, omnia denique humana. Sic anima, quae per peccatum spiritualiter moritur, amittit DEUM, summum bonum, iacturam facit omnium suorum bonorum operum, omnium iustitiarum, quas fecerat, non recordabuntur, Ezech. 18. v. 24. amittit praemia, quae DEUS bene operantibus promittit, amittit denique vitam aeternam. Quibus bonis omnibus homo per spirituales mortem spoliatus, nudus & inops relinquitur in omnem aeternitatem. Hujus rei illustre exemplum nobis spectandum praebet Christus, Luc. 16. vers. 24. in divite epulone. Quid pro sunt ipsi splendidae opes, quas in hoc mundo habuerat, cum jam in-

omnem aeternitatem ne unam quidem guttam habere queat, quae linguam ex flamma arentem refrigeret? Quid verò hac nuditate potest esse miserius? Quid calamitosius? Unde rectè Augustinus dixit: Luges corpus, à quo anima recessit: & non luges animam, à qua recessit Deus? Nos verò harum consideratione adducamur ad peccati detestationem, siquidem illud solum hanc animae mortem superinducit. Sin verò videamus quempiam hac morte perire, non relinquamus eum inter sui similes mortuos, à quibus in infernum sepeliatur. Sed potius properemus cum eo ad Christum, qui est Dominus vitae & mortis. Is Lazarum defunctum quadriduanum in vitam revocavit, Iohan. 2. v. 44. Idem etiam nos à peccati morte liberabit, qui pro nobis mortem subire non erubuit. Sicuti ea de re alibi disserendi copia dabitur.

CAPUT LXIV.

CONTINENS HISTORIAM DE TRANSFRETATIONE
CHRISTI IN TERRAM GERGESENORUM, MATTH. 8.

MARC. 4. LUC. 8.

RATIO ORDINIS.

Hic sese offert non parva difficultas, in sequentibus historiis suo vero loco disponendis: & scrupuli obijciuntur non contemnendi, ut non statim appareat, quis sit verus *εἰγμός ἀνορθίας*. Nam Matthaeus c. 8. & 9. Marcus c. 4. & 5. Lucas c. 8. eodem quidem consecutionis ordine describunt tres historias. 1. Transfretationem & magnum illum motum in mari. 2. Expulsionem daemionum, porcorum suffocationem in mari. 3. Suscitationem mortuae filiae primatis, & interim sanatae Haemorrhousam. Sed ad descriptionem illarum historiarum Matthaeus mox accedit ab illa vespera, quando Dominus sanavit socrum Petri & alios infirmos Capernaumi: quod factum est anno primo ministerii Christi. Atque sic praemittit has historias longe ante legationem Baptistae, sanationem Daemioniaci, atque parabolas à Domino turbae propositas. Marcus verò & Lucas tum demum ad descriptionem harum historiarum accedunt, quando Dominus legatus Baptistae respondit, populo de Johanne dixit, Daemioniacum sanavit, atque multa per parabolas locutus est: quae omnia in secundo anno ministerii Christi acciderunt. Atque hinc Andreas Osiander, vir alioquin acuti ingenii & magna eruditionis (& qui secuti eum sunt, Crellius, Codomanus, atque alii) ut tueatur illud suum *ἀόριστον*, nullum Evangelistarum quicquam extra ordinem narrasse, & ne cogatur quicquam transponere, istas historias facit diversas, quae distinctis locis ac temporibus acciderint, easque in Harmonia sua ita ordinat, ut illae, quas Matthaeus descripsit, praecedant, & demum longo intervallo subsequantur Marci & Lucae descriptiones. Et sanè diversitatem earum multis, iisque argute conquisitis rationibus, probare nititur, sicuti videre est lib. 1. Harm. ipsius cap. 39.

Harm. Tom. I.

Ante omnia itaque necesse est, ut diligenter expendatur, utrum eadem sint, an verò diversa apud diversos Evangelistas. Si diversa sunt, necesse erit ordinem ab Osiandro monstratum sequi. Sin fuerint eadem, tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus patebit, hic proprie ipsis suum locum in Harmonia attribui posse, & Matthaeum per anticipationem eas recitasse. Nos tuebimur illam sententiam, quae easdem esse censet. Et quidem in sequentibus sigillatim plura videbimus: nunc tantum generales quasdam monitiones praemittimus, unde appareat esse easdem.

I. In genere, hasce historias apud omnes tres Evangelistas pro iisdem habemus. 1. Quia tota erudita antiquitas iudicavit, esse prorsus easdem. Ab ejus itaque iudicio communi, citra graves causas recedere temerarium & arrogans esse videtur. 2. Retinenda est generalis illa regula, quae etiam capit. 5. Proleg. posita est, ut ne praeter necessitatem historiae distinguantur vel divellantur, ubi praecipuae circumstantiae conveniunt, & easdem esse ostendunt. Quando enim diversa sunt loca, tempora, personae, occasiones & fines, tunc demum propter similitudinem ea, quae diversis temporibus repetita sunt, non sunt confundenda, sed distinguenda. 3. Omnes autem circumstantiae, tam manifestè testantur, hasce historias, apud omnes tres Evangelistas esse easdem, ut si quis eas diversas facere velit, ipsa evidentia reclamet, & in aures atque animum insonet, easdem esse. Quanquam enim nemine dubitante Dominus plurima fecit, quae scripta non sunt: multa item similia fecit iis, quae scripta sunt: & apparet etiam apud unum Evangelistam nonnulla recitari similia, ut quae vere bis dicta factave sint: tamen non facile cuiquam sano credibile videbitur fieri posse, ut plurimae res diversissimae eodem ordine, & illo quidem neque interrupto, neque interrupto, sed continuo, tanta constan-

Mmm 4

stan-